



8.
Letterat. italiana
Compon. per musica
Cart. 1. H. G.

ADONIAS.^{3.}

DRAMA SACRUM
MUSICÆ RECITANDUM

A VIRGINIBUS ORPHANODOCHII

S. MARIÆ DE PIETATE.

MAGISTRO, AC MODERATORE

D. ANDREA BERNASCONI MEDIOLANENSI.

ANNO SALUTIS MDCCLXVI



V E N E T I I S

APUD BARTHOLOMEUM OCCHIUM.
SUPERIORUM PERMISSU.

ADONIAS
MURUM
INTERLOCUTORES.

DAVID, REX ISRAEL.

D. Apollonia.

BETHSABEE, UXOR REGIS.

D. Margarita.

SALOMON, FILIUS DAVID EX BETHSABEE.

D. Maria Bononiensis.

ADONIAS, FILIUS DAVID EX HAGGITH.

D. Fortunata.

NATHAN, PROPHETA.

D. Albq.

ABIATHAR, SACERDOS.

D. Gregoria.

CHORUS SACERDOTUM, ET POPULI.

V E N I T I S

ADONIAS

SUPERIORUM

PARS PRIMA.

ADONIAS, ET ABIATHAR.

D Ecevi, o amice. In vanum
Movere animum meum, Abiathar, tentas.
In folio patris mei
Israel sedentem hodie me videbit.

*Reg. 1.3.
c. 1.*

ABIATHAR.

Princeps, concedat Deus

Sicut ego desidero, ac tu speras:

Sed, si loqui non vetas,

Vires tuas tantæ rei cerno inæquales.

Salomon, Bethsabee

Stant contra te, stant Regis juramenta,

Stat Nathan cum exercitu....

ADONIAS.

Non ultra.

Corde forti et magnanimo tentabo:

Amice, amico crede. Ego regnabo.

ABIATHAR.

Tecum ero, si vis. Attende tamen

Ne nos immenso pelago committas,

Tu vento adverso portum inde amittas.

Quando nautæ sunt, auræ secundæ,

Et in mari tranquillæ sunt undæ,

De furenti non timet procella.

At si murmurant æquora irata,

Et ab Euro feroci agitata,

Tunc horrescit, carendo sua stella.

Quando etc.

NATHAN, ET BETHSABEE.

Nova fero, o Regina, et quæ tu credas
Tristia, et infausta.

BETHSABEE.

Heu, quid? quid instat mali?

Ah, loquere, Vir Dei.

NATHAN.

Tu jam novilli

Ex Haggith Adoniam, juvenem nimis
Fervidum, et audacem.

Ille, Joab adjuvante,

Jam cogitat de regno, et Salomoni
Inclyto filio tuo sceptrum regale,
Sceptrum promissum rapere conatur.

BETHSABEE.

Quid ais, Nathan? quid enim?

NATHAN.

Jam curru aurato ducitur, jam secum

Est robustorum agmen.

Vidit Aula, et obstupuit: Tu vidisti,

Nec David quidem dixit: Cur fecisti?

BETHSABEE.

Erit ergo mea proles

Fratri infesto subjecta?

Quid faciam nunc?

NATHAN.

Attende.

Ad Regem vade, et dic: Ancillæ tuæ

Nonne, mi Rex, jurasti:

Salomon filius tuus post me regnabit?

Cur ergo modo regnat

Frater tuus Adonias? Sic dices. Ego

Interim veniam, adhuc te loquente,

c. 1.
n. 5.
et 11.c. 1.
n. 7.c. 1.
n. 5.c. 1.
n. 6.c. 1.
n. 13.c. 1.
n. 14.

Et novis verbis verba tua firmabo:
BETHSABEE.

Sic exequar. Ad Regem nunc accedam,

Et plene in Deo confisa,

Sum a timore meo quasi divisa.

NATHAN.

Eja, solare. Vera

In te fiducia sit. Obscra, et spera.

Vade, te Regi ostende,

Præsidium filio implora,

Et, suspirando amare,

Sit fides vera in te.

Palmas ad Coelum tende,

Flebili voce exora,

Et supplex deprecare,

Ne tua frauderis spe.

Vade etc.

BETHSABEE, inde SALOMON.

En Salomon serena, et lata fronte,

Inscius arumnæ suæ...

SALOMON.

Mater dilecta;

Et sospitem, ac tutam

Te reddat semper Deus.

BETHSABEE.

O cordis mei,

Fili, pretiosa pars, ecce, te amplector,

SALOMON.

Quæ lacrymæ, o Regina,

Irrigant genas tuas?

BETHSABEE.

Adhuc ignoras

Ergo, fili, quid paret

A 3

Adonias

Adonias frater tuus?

SALOMON.

Quid frater parat?

BETHSABEE.

Te de folio promisso

Cogitat deturbare.

SALOMON.

O cara mater,

Grandia narras reuera: at non diffido.

Nathan cum nobis est, cum Nathan Deus,

Cum Deo iustitia, et patris iuramenta.

BETHSABEE.

Vera, fateor, hæc sunt: sed nollem Deus,

Contra nos forte iratus,

Regis mentem mutaret,

Et super Israel Adonias regnaret.

Attamen spero, et si capiti tuo

Patrium diademâ imponere dignetur,

Deus ipse author salutis

Ex Sion emittet virgam suæ virtutis.

Rideat ver, cadat rigendo

Nix a nube tenebrosa,

Cedrus Libani virendo,

Læta fronde coronatur.

Dubia forte modo plena

Celsa tua mens generosa

In sua spe viget serena,

Et a metu non turbatur.

Rideat etc.

SALOMON.

Oculos meos in montes

Leuavi, dicens: Unde

Auxilium erit mihi, et unde salus?

Ah,

Pf.109.
n. 2.

Pf.120.
n. 1.

Ah, fac, o potens Deus,

Ut a te lux oriatur,

Quæ protegat me tibi confidentem,

Ac patris cari illustret cor et mentem:

Fulgida Aurora, nocte labente,

Purpurea splendet, Sole nascente,

Placido rore plantas alendo.

A fede æterna sic Dei potentis

Clementia fovet cor innocentis,

Favorem illi tandem reddendo.

Fulgida etc.

ADONIAS, ET DAVID.

Salve, pater, et rex.

DAVID.

Fili, quid cupis?

ADONIAS.

Nihil pro me, sed gentis tuæ quieti

Consulturus advenio.

DAVID.

O fili care,

Lubens aurem inclino, accede, et fare.

ADONIAS.

Pater, quæ beneficia, et quem splendorem

Populo tuo contuleris regnando

Quis nesciat jam? Per te sanguis hostilis

Toties arva Israelitica irrigavit:

Dextera tua prostravit

Omnes immites Israel oppressores:

Cui ignoti sunt inclyti tui labores?

Sed post hæc tanta prælia, et gloriosa,

Quibus adeo serena et longa quies

Populo parta tuo, unum, si licet

Dicere, restat adhuc tibi agendum,

A 4

Ne

Reg. l.2.
c.8.n.2.

Ne brevi pereat fructus
Tanti fudoris tui.

D A V I D.

Quid enim erit?

A D O N I A S.

Quod, antequam tu claudas
Lumina in Deo, supra regalem sedem
Firmes filium diadematis heredem.

D A V I D.

Audi: Si zelo regni,
Si populi quieti accedis motus,
Scito, in animo electum
Qui a me fortem regnandi....

A D O N I A S.

Sed quis ex nobis est?

D A V I D.

Qui non præsumit,
Corde audaci tentando.

A D O N I A S.

Indicabitur ergo? at ubi? et quando?

D A V I D.

Quando? dum opus erit
Indicabitur Rex. O fili, o fili,
Fervidos nimis impetus compeſce
Dominor ego....

A D O N I A S.

Sed....

D A V I D.

Tace, et quiesce.

A D O N I A S.

Pater, si vis, tacebo,

Pupillas nec movebo?

Vado

Vado, sed tu jam vides

Quale fit cor in me:

(Firmo corde tamen volo

Sceptri fortem nunc tentare,

Vel perire, vel regnare...)

Ah, mi pater, spero in te.

Pater etc.

BETHSABEE, DAVID, inde NATHAN.

Dulce decus Jerusalem, te Deus
Semper defendat brachio suo potenti,
Et longos dies adjungat
Novis annis, et gloria, et pace plenis.

Reg. 1.3.
c. 1. n. 15.

D A V I D.

Dilecta Bethsabee, quid vis? cur venis?

BETHSABEE.

c. 1.
n. 16.

Mi Rex, a te contendit

Omnis Israel, ut judices qui in throno

Debeat post te sedere. Tu jurasti,

Teste Domino, mihi ancillæ tuæ:

Salomon filius tuus post me regnabit?

Cur ergo modo in regem, te ignorante,

Se attollit Adonias? ad Rogel fontem

Plures arietes, pinguis quæque, et boves

Maſtavit hodie. Ad mensam

Filios vocare tuos.... sed ecce Nathan.

Veni, o Propheta, veni:

Verbum confirma meum, sincerus testis.

c. 1.
n. 20.

c. 1.
n. 17.

c. 1.
n. 30.

c. 1. n. 18.
19. et 25.

c. 1.
n. 22.

NATHAN.

Nimis publica et vera

De tuo filio Adonia narrat Regina.

D A V I D.

Vivit Dominus, vivit,
Dominus qui de angustia

c. 1.
n. 29.

c. 1.
n. 30.

Animam eruit meam. Sicut juravi,
Videbis hodie tua lætitia extrema
In filii fronte positum diadema.
Sicut a celsa rupe
Cadendo — stillant undæ,
Sic stillent, delabendo
A Cælo, gaudia in te.

c. 1.
n. 31.

Carum videbis natum
Serto regali ornatum:
Ah, donum recognosce
A Deo, sed non a me.
Sicut etc.

c. 1.
n. 32.

Sacerdotes, adeste, adeste; ac modo
Servos Domini vestri ad vos vocate
Equitatu regali
Filius in Gihon ducatur,

c. 1.
n. 34.

In regem ibi ungatur,
Et buccina clangente,
Dum festive canetis,
Vivat Salomon Rex, vivat, dicetis.

c. 1.
n. 31.

BETHSABEE.
Vivat Dominus meus, æterne vivat.
NATHAN.

En, dictis jucundissime paremus.
D. A. V. I. D.

Eja, veloce ite,
Inde cum Coronato
Statim ad me redite.

c. 1.
n. 35.

Tunc illum confirmabo,
Et regnare pro patre
Super Israel et Judam imperabo.

C H O R U S.

Plaudite, gentes,
Gaudete, populi:
Salomon vivat,
Et vivat Rex.

A. 2.

Eja, lætamini:
Ecce, in diademate
Prolis Davidicæ
Decor, et fax.

C H O R U S.

Plaudite, gentes,
Gaudete, populi:
Salomon vivat,
Et vivat Rex.

A. 2.

Concentu armonico
Ubique resonet:
Filio fit inclyto
Laus, gloria, et pax.

C H O R U S.

Plaudite, gentes,
Gaudete, populi:
Salomon vivat,
Et vivat Rex.

Finis Primæ Partis.

PARS ALTERA.

ADONIAS, ET ABIATHAR.

Quis clamor? quis tumultus? quid evenit?

ABIATHAR.

Princeps, heu, fuge, o Princeps,

Tuæ consule saluti.

ADONIAS.

Et cur? enarra.

ABIATHAR.

Salomon sedet rex: quid ultra? ah, fuge,

Periit regnandi spes. Contra nos instat

Procella nimis furibunda.

ADONIAS.

Amice,

Quid ergo nunc agendum?

ABIATHAR.

Nobis restat

Tantum hoc unum credo

Certe tentandum.

ADONIAS.

Quid?

ABIATHAR.

Fratris offensi

Cor indignatum precibus placare.

ADONIAS.

Cur? ego fratrem orem?

Mecum vindictam quære, arma sumamus.

ABIATHAR.

Furere vanum est. Promptus confestim

Obvius

Obvius occurram novo Regi. Ab eo
Humili fronte veniam implorabo.

ADONIAS.

Ah, infide, abi, discede:

Forfan, fratrem dum times,

Peribis, qua non credis, atra in cæde.

Fervet in corde furor infestus,

Viscera torquet ardor funestus,

Sævita, insanit mens agitata.

Miser, delusus vindictam quæro,

Vitam non curo, tristis despero,

Vacillat, cadit virtus turbata.

Fervet etc.

BETHSABEE, ET DAVID.

O memoranda dies,

Qua paternum diadema

Decora filii tempora revincit.

DAVID.

Cito ex Gihon exultantes

Sacerdotes redibunt.

BETHSABEE.

Cito læta

Voce sonabit aer.

DAVID.

Sit benedictus

Æternus Israel Deus qui filium dedit,

Quem in throno viderem

Regnaturum post me. Dirigat iste

In veritate, et in iudicio recto

Populum in salutem,

Namque dextera Dei fecit virtutem.

In fronte coronata

A Numine illustrata

*Pf. 24.
n. 5.*

*Pf. 117.
n. 16.*

Sa-

Sapientia niteat fax,
Et sit iustitia et pax
Regnandi splendor.

Reg. 1.3.
c.3. n.9.

Nunc filio in regia sede
Cor docile concede,
O Deus; et sic in te
Plenus amore et spe
Magis accendor.

In fronte etc.

BETHSABEE.

Reg. 1.1.

Quam exultat cor meum

c.2. n.1.

In Deo, qui solus fortis super omnes,

c.2. n.2.

Qui solus sanctus est, quo robustorum

Arcus est superatus,

c.2. n.4.

Cujus ope sublimi

Semper infirmus fuit robore armatus.

Super hostes in Coelis tonavit,

Percussit, prostravit

Suo brachio potenti.

c.2. n.8.

Novum Regem a fraude protexit,

Firmavit, erexit

In throno fulgenti.

Super etc.

ABIATHAR, SALOMON, ET NATHAN.

Parce dolenti, parce,

Mi Rex, et sit clementia.

Primum tui regni decus.

Ecce Abiathar qui exorat:

Heu, vindictam de me fumere noli,

Noli petenti veniam denegare.

SALOMON.

Absint a corde meo, absint vindictæ.

Libentissime parco: Abiathar, surge.

ABIA-

ABIATHAR.
Quas grates reddam, quas Regi clementi?
Deficiunt verba reddere volenti.

NATHAN.

Grates Domino redde.

SALOMON.

Sed quid affers de incauto

Adonia fratre meo?

ABIATHAR.

Vivit occultus

In sancto templo Dei.

SALOMON.

Nova moveor pietate. Auso imprudenti

Sæpe succedit metus,

Trepidus pavor, poenitentia, et fletus.

NATHAN.

Ah, sunt magis ætatis,

Quam rei cordis delicta. Hæc inter absit,

Generose parcendo, a te vindicta.

SALOMON.

Sic erit. Eja, perge

Sollicitus ad fratrem;

Dices ei quod, submisit

Dum veniam poscat, regni spem ponendo,

Cor ad veniam inclino.

ABIATHAR.

Nuncio felici ad Adoniam festino.

SALOMON.

Nos interim ad patrem

Celeri gressu properemus.

NATHAN.

Lætus

In laude, in gloria populus præcedat.

Quisque

Reg. 1.3
c.1.n.50

Quisque plaudendo gaudium non occultet,
Soletur pater tuus, et Sion exultet.

Palma in Cadès exaltata,
Tam suavi fructu ornata,
Quam sublimi virens fronde,
Decor fit collis, et prati.

Cum ad thronum sis elatus,
Fiat clementia in te fecunda,
Sic in Sion jam lata bunda
Relucebunt dies beati.

Palma etc. in san. Dei.
ADONIAS, inde ABIATHAR:

Ubi sum? quo me verto? at sacra domus omni

cr. I.
n. 50.

Hæc est æterni Dei? ipsius hæc ara,
Quæ me a nece defendent?
Sed palpitans cor meum, ah, tandem quiesce,
Diros motus compeſce.
Heu, sentio, o cor, heu, sentio tu respondes:
Ab instanti vindicta
In vanum, o Adonia miser, te abscondes.

ABIATHAR.

Trepidat Adonias, trepidat ille
Qui preces deridebat,
Et vastas clades animoolvebat?

ADONIAS.

Tace, o Sacerdòs, misero ne insultes.
Diræ mortis timores,
Heu, quam conturbant me.

ABIATHAR.

Cessa a querelis.
Adonia, parcit Rex. En nuncius adsum
Placati animi sui. Veni submitte:
Est rex, sed frater est. Sangninis sentit

cr. I.
n. 53.

Quilip

In

In corde occultas vires:
Veni, nec ultra timidus suspires.

ADONIAS.

Quis credat Regi irato? Abiathar, certe
Simulat frater meus.

ABIATHAR.

Salomon non mentitur.
Adoniæ parco, dixit.
Venia mihi quam dedit
Exemplum tibi fit.

ADONIAS.

Ah, faveat Deus.

Tecum veniam invito,
A me quia non recessit timor meus.

ABIATHAR.

Amico crede,
Sincerus parcit,
Latus accede,
Confide in me.

Odium non premit
Fraternum pectus,
Ira non fremit
Amplius in te.

Amico etc.

Omnes cum Choro Sacerdotum, et Populi.

CHORUS.

Coronata viola, et rosa,
Filiæ Sion, lætæ exultate.
Proles David generosa
Vivat, diu vivat, cantate.

NATHAN.

Inter jucundas voces,
Inter

Inter plausus et vota
 Exercitus, et populi totius,
 Redimitus corona
 Salomon ecce, o Rex. Gaude, latare,
 Jusjurandum adimple, et consolare.

D A V I D.

Nunc, eja, super thronum

c. 2. Mihi favore Altissimi largitum
v. 2. Ascende, o fili, ascende. Confortare,
c. 2. Et esto vir. Dei testimonia observa,
v. 3. Sua præcepta custodi,
 Et ceremonias, et judicia serva.

S A L O M O N.

Adsit propitius Deus. Concedat ipse
 Ut innocenti corde
 Dilecti patris mei vestigia sequar.

N A T H A N.

Nunc primum tribue pignus
 Animi tui pacifici, donando
 Veniam mœsto Adoniae,
 Sic mitem genitorem imitando.

S A L O M O N.

Accedat Adonias.

A B I A T H A R.

Princeps, accede.

A D O N I A S.

c. 1. Rex juret me non gladio...
v. 51.

S A L O M O N.

Ne timeas, fratrem audi.

c. 1. Esto, Adonia, vir bonus,
v. 52. Subjectus Regi tuo. Vives tranquillus,
 Nec de capite tuo cadet capillus.

At, si nova tentando,
 Eris

Eris in me perfido corde reus,
 Implacatus existet furor meus.

Parco, sed fastum pone,
 Parcentem disce amare:
 Vive, sed recordare
 Vitam pendere a me.

In tam serena die
 Pereat vindictæ nomen:
 Sit regni faustum omen
 Sic dilexisse te.

Parco etc.

B E T H S A B E E.

Quæ vota reddam tibi, o immense Deus?

Tu præsidio potenti
 Filio imperium dedisti,
 Et a fratris insidiis protexisti.

D A V I D.

Vere auxilium de Cœlo

Enituit super nos.

S A L O M O N.

Sed tibi, o pater,
 Concede ut a me possint
 Denuo muneris tanti
 Grates referri....

D A V I D.

O fili,

Ecce, te stringo ad pectus,
 Et sic teneri amplexus
 Pignora æterna sint paterni affectus.

Proli caræ, Altra, favete,
 Fausto lumine micate.

S A L O M O N.

Almæ Sion, Cœli, arridete,
 Rores placide stillate.

D A

D A V I D.
Gaudio immenso jubilando;

S A L O M O N.
Dei clementiam exaltando;

A. 2.
Eja, o cor, lætare in me.

D A V I D.
Tanta pace consolata;

S A L O M O N.
Tanto dono decorata;

A. 2.
Eja, plaude, anima, in te.

Proli etc.
Almæ etc.
A B I A T H A R.

O generosum cor!

B E T H S A B E E.

O digna proles

Inclyti patris tui!

N A T H A A N.

Dominus reddat

Sceptrum tuum gloria plenum.

D A V I D.

In aula, in urbe, in regno
Vigeat serena pax, æterna quies.

O M N E S.

O clara, o fausta, o memoranda dies!

C H O R U S.

Coronate viola, et rosa,

Filiæ Sion, lætæ exultate.

Proles David generosa

Vivat, diu vivat, cantate.

F I N I S.



